34·3·G·22 107

D E
S. JOANNE EVANGELISTA
ORATIO
HABITA IN SACELLO PONTIFICIO

CORAM

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.

PONT. OPT. MAX.

A BENEDICTO FLORAVANTE DE PAULIS



ROMÆ, Typis Cajetani Zenobii Scalptoris. MDCCV.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIMO PATRI,
AC SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

BENEDICTUS FLORAVANTES DE PAULIS

FELICITATEM.

JOANNIS *encomia,* BEATISSIME PATER, *Sanctitati Veſtræ dicata, dùm prædilectum illum Diſcipulum extollunt*, CLEMENTIS UNDECIMI *me-*

ritum

ritum ſanè concelebrant. Enìm verò ſi JOANNEM *ſupèr cæteros Apoſtolos Domino extitiſſe chariorem, cunctas illius ſupergreditur laudes: ità profectò* CLEMENTEM UNDECIMUM *præ tot, tàmque illuſtribus Candidatis fuiſſe à Domino electum, cujus curæ Sponſa Eccleſia committeretur, omnia complectitur præconia, omnemquè abſorbet laudationis Materiem. En itàque Univerſo terrarum Orbi admiranda in* CLEMENTE *nedùm* JOANNIS, *verùm etiam* PETRI *prærogativa;* JOANNIS, *quia Domino Charior;* PETRI, *quia Domini amantior; Domino charior, quia ſuæ Sponſæ Cuſtos*

ele-

electus ; Domini amantior, quia ejuſdem Sponſæ fideliſſimus Cuſtos, totuſquè in ejus Spirituali incremento promovendo. Hoc igitur, quàmvis exiguum, obſequentiſſimi animi monimentum SANCTITAS VESTRA *dignatione ſuâ grandius efficiat, ſacriſquè pedibus admiſſum, ac provolutum, Clementiſſimo patrocinio muneris Oblatorem non dedignetur excipere.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

ARDUUM eſt, BEATISSIME PATER, hodiernà die de Sanctiſsimo APOSTOLO verba facere, cujus eximiæ virtutes ſuprà omnem eloquentiam evectæ dicendi adimunt facultatem. Verùm nè tantæ Celebritatis ſolemnitas annuæ careat conſuetudinis officio, aggrediar nullo licèt artis colore, aut eruditionis cultu perpolítus, de innumeris viri Immortalis laudibus nonnullas attingere, quando ſingulas proſequi etiàm magnis Oratoribus irritus foret conatus.

Digitized by Google

S. Thom. de Villanova de S. Joanne Evangeliſta. tus. Hic eſt APOSTOLUS, PROPHETA, EVANGELISTA, MARTYR, CONFESSOR, VIRGO, DOCTOR; Quanta his nominibus debeatur reverentia, quantàque opus ſit ingenii facultate illis pertractandis, exornandiſquè nemo eſt, qui non videat. Ego tamèn Divinos penè titulos ſilentio præterire ſatiùs ducens, illud tantùm in JOANNE brevi enitar ſermone percurrere, quod præ cæteris Apoſtolis fuerit Domino charior, & acceptior, reputans in hoc uno Elogio omnes virtutes, & egregias quaſcumque dotes contineri.

De celeberrimo Samuele, velut in arctum omni laude coacta, illud quidèm ſacra promunt Eloquia: *Ecclef 46. n. 16.* DILECTUS A DOMINO DEO SUO SAMUEL PROPHETA. Amplius tamen de JOANNE præconium, cujus, *Joan. 21. v. 20.* & præſtantius meritum: DISCIPULUS, QUEM DILIGEBAT JESUS. Uno hoc dulciſsimo adſcititii Nominis attributo exprimitur quidquid de inacceſſæ

pro-

propemodùm celſitudinis argumento, Oratorià potis eſt Grandiloquentià oſtentare. Miramur in eo Mundi triumphatricem heroici pectoris fortitudinem; immaculato nitens virore Virginitatis Lilium: Profeticæ mentis aciem incedentem uſquè ad interiora velaminis, Sacramenta abſcondita à ſæculis in Deo pervià penetratione rimantem. At Dilecti Discipuli ſpecioſior Teſſera cæteris titulis grandior omnem ſibi vendicat admirationem. In triplici ſinu Christum requieviſſe, obſervat Ambroſius, in ſinu Patris in Cœlo, in ſinu Matris, & JOANNIS in Terra. Multum quidem contulit gratiæ CHRISTUS JOANNI, in ejus ſinu dignatus quieſcere; prægrandes in illum tunc elargitus fuit ſingularis benevolentiæ favores, at effusà hac Dilectionis ſignificatione, longè majori privilegio cumulavit, cùm JOANNEM ipſum ſuſtinuit Dominico

Hebr. 6 v. 19.

S. Ambroſ. octav. Epiph ſerm. 17.

pecto-

S. Thom. de Villanov. de S. Jo: Evangel.

pectori recumbentem. Non audet, (ut cum Sancto Archiepiſcopo Valentino loquar.) Non audet Baptiſta ſacrum Domini Verticem contingere; Magdalena cum timore, & tremore pedes tangit; Thomas niſi juſſus manum non mittit in latus; JOANNES Dilectus non juſſus, non petità venià, confidentèr recumbit ſuprà Dominicum pectus. Mirum profectò, quà Divinus Præceptor ſuum proſequebatur JOANNEM, dilectionis indicium, ac veraciſsimum ſanctitatis, quæ in tàm Dilecto effulgebat Diſcipulo, teſtimonium. Verùm admirabiliores planè ſunt arctæ adeò familiaritatis, ferventiſquè dilectionis, qui mihi antè mentis oculos obverſantur, effectus. Etènim cùm ſuprà Jesu pectus in Cœna recubuit, introivit in potentias Domini, & de illius Divinitate arcana rimatus, hauſit JOANNES de ſinu Vnigeniti, quod de paterno hauſerat

Pſal. 70 v. 16.

S. Bernard. ſerm. 8. in Cantic.

ille,

ille, ac fluenta ſancti Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit. Undè mirabile illud eructavit exordium: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. Demandatà huic uni Diſcipulo curà inſtruendorum fidelium de FILII DEI, ejuſdemquè filii hominis, ſempiternæ generationis, temporanei conceptus Myſterio, ut in aquis, quas de irriguo ſapientiæ fonte biberat, capita Draconum contribularet. Conſuluit profectò communi ſibi creditorum hominum bono tot, tantiſquè opibus Divinitùs locupletatus JOANNES; ingentem ſui animi virtutem ſolius Aſiæ haùd patiens circumſcribi limitibus; nec uberrimis, quibus illa reſpondit, contentus fructibus; eluſis antiqui Serpentis illecebris genimina Viperarum ab Univerſa Eccleſia divulſit. Monſtroſa quidèm Hæreſeos abyſſus evomuit capita Draconum ſe extollentia in CHRISTUM, ejus Divinitatem, Uni-

Eccl. in offic. ejuſd. S. Joan.

Joan. v. v. 1.

Pſal. 73. v. 13.

cam

cam Hypoſtaſim, duplicem Naturam, verum, ac carneum Corpus nefandis dogmatibus impetentia; at in conſcripti Evangelii fluentis
Pſal 73. v. 13. 14. contribulavit, confregit capita Dra-
Joan. 1. v. 1. & 14. conis dicens: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET DEUS ERAT VERBUM, ET VERBUM CARO FACTUM EST. O dilectiſsimum Domino Diſcipulum! O amoris dulce privilegium, omni præconio excellentius! Dominum diligere regeneratis in CHRISTO filiis etiàm nobis Divinà faventе gratià commune eſt; à Domino diligi, mutuà benevolentià foveri, & in amplexum amantiſsimè in hac via recipi, non niſi JOANNI conceſſum. Utinàm Divino Amoris jaculo nobis quoquè ſauciis, atquè confoſsis, quem aptè celebrare nequimus, fas ſit Charitatis operibus digniùs imitari.

FINIS.

Digitized by Google